



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm**

**Barry, Paul de**

**Monachii, 1650**

Hymnus deuotus. De S. Iosepho

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

298 *Litania de S. IOSEPHO.*

*V.* Domine exaudi orationem meam.

*R.* Et clamor meus ad te veniat.

O R E M V S.

**S**anctissimæ Genitricis tuæ Sponsi,  
quæsumus Domine, meritis adiuue-  
mur; vt, quod possibilitas nostra non  
obtinet, eius nobis intercessione done-  
tur: qui viuis & regnas cum Deo Patre  
in vnitæte Spiritûs Sancti Deus, per om-  
nia sæcula sæulorum, Amen.

*Hymnus deuotus.*

DE S. IOSEPHO

*Sub tono: stabat Mater dolorosa.*

1.

**S**alue Pater Saluatoris,  
Salue Custos Redemptoris,  
Ioseph ter amabilis,  
Salue Sponse Matris DEI,  
Salue Hospes Iesv mei,  
Ioseph ter mirabilis,

2.

Dulces cunæ, dulces panni,  
Dulces dies, dulces anni,

Dum



*Hymnus de S. IOSEPHO.* 299

Dum nutriti Dominum,  
O quam fuit admiranda,  
Tua vita veneranda,  
Habens DEI Filium.

3.

IESVM oculis vidisti,  
Et in brachijs tulisti,  
O suavis felicitas!  
Genis genas admouisti,  
Oscula dans accepisti,  
O felix Suauitas!

4.

Modò DEVM appellâsti,  
Modò Regem nominasti,  
Inter mille gaudia:  
Modò Patrem adorandum,  
Modò Natum adamandum,  
Inter mille basia.

5.

IESVM brachijs tenere,  
Atque totum possidere,  
O quantæ diuitiæ!  
Cum Maria conuersari,  
DEI in amplexari,  
O quantæ deliciae!

O 4

6. Quis



6.

Quis est homo, qui amare,  
 Atque Iesulum portare,  
 Nollet suis brachijs?  
 Nullus est qui non ambiret,  
 Et qui Cunas non adiret,  
 Pro tantis delicijs.

7.

O mi Ioseph plus amande,  
 Et præ cunctis honorande,  
 O flos pudicitiaë!  
 Tibi tanta fors est data,  
 Quanta nulli est collata  
 Ab Auctore gratiaë.

8.

O felicem & beatum,  
 Custodiri cui est datum,  
 Tuo sub Præsidio!  
 Et qui meruit habere  
 Te Patronum, & gaudere  
 Tuo Patrocinio,

9.

Per Mariaë tuæ Matris  
 Preces, & Iosephi  
 IESU, tu nos ad



Vt possimus te videre,  
Et æternum possidere,  
Tu cælesti Patria, Amen.

℣. Valde honorandus & amandus ut  
beatus Iosephus.

℞. Inter cuius brachia Dominus recu-  
buit.

*Oremus.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui  
beatum Iosephum justum, Filium  
David, Beatissimæ Virgini Mariæ Spon-  
sum prouidisti, & Filio tuo Iesu Chri-  
sto Nutritium elegisti; da quæsumus,  
ut eius precibus & meritis, tranquillâ  
pace lætemur, & ad perpetuæ visionis  
tuæ consolationem perducamur. Per  
eundem Dominum nostrum **I E S U M**  
Christum Filium tuum, qui tecum vi-  
uit & regnat in vnitate Spiritûs sancti  
Deus, per omnia sæcula sæcu-  
lorum, Amen.

A M O R E  
I E S U, M A R I Æ, I O S E P H

INDEX